

B. N. C.
FIRENZE
1011
12



XXXIV
GLEICH

1011
12

XXXIV.

GLEICH

DISSERTATIO EPISTOLICA
DE
FIDE CARBONARIA

Vom Röhler-Slauben/
AD
JUVENEM ORNATISSIMUM,
JO. Röhler/
Crimmitschavia-Misnicum,
PHILOSOPHIÆ BACCALAUR.

CUM
IN INCLUTA PHILUREA
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
LIBERALIUM ARTIUM

M A G I S T E R
CREARETUR

A. O. R. d. 26 XCVII. D. XXIX. JAN.
SCRIPTA ATQVE TRANSMISSA

JO. ANDR. Gleich/
Seren. El. Sax. à Conc. Sacr.

DRESDÆ, apud Johannem Richterum, Typogr. Aulicum.



Q. B. V. D.

JO. Köhler /

PHILOSOPHIÆ MAGISTRO PUBLICE
RENUNCIATO

S. P. D.

JO. ANDR. Gleich.

DUm precibus tuis, *Juvenis ornatissime*, sa-
tisfacere volo, & me ad scribendum accin-
go, de incertitudine fidei Romano-Catholi-
corum, qvâ tot miseris animas pretiosissi-
mo Christi Sangvine redemptas decipere
solent atq; seducere; In manus mihi venit
doctissimi cuiusdam Galli *Joannis la Plaçete Benarni*
prolixa dissertatio, his ipsius nundinis ad nos missa, .qvæ
fermè de eodem argomento agit, & de insanabili *Roma-
na Ecclesie Scepticismo* insignita, Amstelodami sub finem
præterlapsi anni edita est, ut facile supersedissem huic la-
bori, qvia non solum hic eruditissimus Vir, sed inter no-
strates etiam qvâ plurimi ante ipsum, id solidè & ad o-
culum demonstrarunt, nihil omnino esse quod firma fide
sibi Pontificis persuadere possint. Provoco vel ad Duum
Viros excellentissimos, *Martinum* nempe *Chemnitium*,
qui hoc thema prosequutus est in aureo adversus Con-
cilium

cilium Tridentinum instituto examine invictissimo, &
 Jo. Gerhardum, ejusqve Confessionem Catholicam. Sed
 cum desiderares nuper à me iterum iterumqve prolixio-
 rem *de fide Carbonaria deductionem*, & unde illud no-
 men acceperit? pro èà qvâ te proseqvor per aliquot an-
 nos amicitia intermittere non potui qvin precibus tuis
 locum relinquerem atqve aliqualem hujus rei delineatio-
 nem in præsentiarum tibi suppeditarem. Origini-
 nem hujus rei & significationem prolixè refert strenuus
 & pro aris & focus Romani Pontificis fortiter pugnans
 miles Stanislaus Hosius Libr. 3, contra Proleg. Consult.
 Brentiif.261. inqviens: Qvapropter nihil est qvod ma-
 jori cum periculo conjunctum sit, qvám si qvis de Scri-
 pturis cum Satana certamen inire velit, præcipue qvo,,
 tempore gravis agon instat, cum anima venit à cor-,,
 pore separanda. Tum verò fuerit tutissimum exem-,,
 plum seqvi CARBONARII cuiusdam; ex qvo cum,,
 animi causa Vir qvidam doctus qvæsivisset, qvid crede-,,
 ret? Symbolum recitavit. Cum interrogaretur ille, ,
 qvid præterea crederet? Respondit: Qvod Ecclesia,,
 credit Catholica. Ille verò: qvid credit Ecclesia? Qvod,,
 ego, inquit, credo, cumqve ille subinde qvareret, circulo,,
 hoc usus Carbonarius, nihil aliud respondit, qvám se cre-,,
 dere qvod Ecclesia credit, Ecclesiam credere qvod ipse,,
 crederet, nec aliud qvicquam ab ipso elicere potuit. Fer-,,
 tur autem evenisse postea, ut Vir ille doctus & S. Litera-,,
 rum peritus in gravem morbum incideret, deq; vita sua,,
 periclitaretur: ortus est cum eo qvoqvetum Satanias di-,,
 sputare, qvidq; crederet ex eo qvarere. Cumq; nimis,,
 urgeret Satanás, neq; se miser ille explicare posset, ve-,,
 nit ei in mentem Carbonarii, nec alia fuit ejus vox audi-,,
 ta præter hanc, ut Carbonarius. Qui verò assidebant,,

eum propter morbi vim errore mentis affici putabant; „
Posteaquam verò fuit ex morbo confirmatus, interrogava-„
bant illum, quid sibi voluerit, cum toties exclamaret: ut „
carbonarius! ille rem omnem explicat ordine, quem-„
admodum in illa sua cum Diabolo disputatione, si „
cum olim audiverat ex Carbonario quodam, non aliò sibi „
confugiendum duxerit quam ad fidem Ecclesiæ Catho-„
licæ, tanquam ad asylum omnium tutissimum, quodque „
plus in eō tūm præsidii invenerit, quam in omni Scri-„
pturarum exercitatione, quas totā vitā suā meditatus e-„
rat diligenter, acceptum se ferre divinæ misericordiæ, „
quod in simplicem illum Carbonarium inciderit, cujus „
nisi sibi succurrisset exemplum, ingens fuerit periculum, „
& discrimen aditus. Consentit cum *Hosio ipse Claudio*, „
Espencæus in *Comment.* ad 2. *Tim.* III. f. 402. testesq; allegat
harum nugarum *Erasmum*, & *Albertum Pighiam*. Ean-
dem cantilenam quoq; reperit mutata tantum persona „
Bellarminius *Libr. II de arte bene moriendi c. IX.* *Gregorius*
autem *de Valentia* hanc fidem vocat compendiosam, in *A-*
nalyse *de Eccles.* p. 205. ut adeò magnam sibi Pontificii in- „
hoc fulcro fidei Carbonariæ imaginentur firmitatem ac „
robur, quasi in hac sola & unica totius Religionis funda- „
mentum lateat ac limites salutis circumscripti sint; Quem- „
admodum quondam carbones fundamentis ædium ac „
templorum substratos legimus, apud *Sim. Majolum To. I.* „
Dier. Canic. p. 407. Imò carbonibus defossis nonnun- „
quam agrorum fines distinxisse, propterea quod res nul- „
la durabilior, magisq; perpetua quam carbones sub ter- „
ra defossi, ex *Baldo* constat in libro *de officio Judi-* „
cis. Sed quis intercordatiores non videat manifestas has „
Inéptias & fabulas, quibus palliantur tot absurditates exin- „
de confluentes? Quasi fides definitur per *asylum igno-* „
rati-

rantia? Non aliter ut olim illi, qvì naturam negligenter aut biter perscrutati sunt, ad occultas qualitates se receperunt. Licet verò *notitia* totius fidei cardo, & complexum ac summa non sit, (aliàs Dæmonium & Hypocritarum fides etiam vera esset fides) præreqviritur tamen, tanquam necessaria manuductio ad objectum fidei, & lucem præfert assensui. Ignoti enim nulla potest esse cupido. Ita etiam credenti nullus assensus aut fiducia eveniet absqve notitia. Qvomodo credant, de quo nihil audiverunt? inquit gentium Apostolus. Rom. X. 14. Cur igitur Bellarminus fidem melius per ignorantiā, qvā notitiam definiri velit, Libr. I. de Justit. c. VII. §. penult. To. IV. oper. f. 303. non video, cum sit ēnīgnōtis Col. I. 9. Tit. I. 1. & firma ēnīgnōtis Ebr. XI. 1. neqve vita æterna in ignorantia consistat Jo. XVII. 3. Ef. LIII. 11. Unde ipsorum fides jure meritoqve implicita vocatur, qvia tot tantisque difficultatibus implicita est. Provocant eqvidem pro more suo ad Antiquitatēm hujus dogmatis, ne aliiquid frustrā dixisse videantur; Tēporibus nempe Veteris Instrumenti necessarium fuisse in omnibus statibus simplicioribus generatim credere ea, qvæ Ecclesia credit. Qvia populus simplex, cum totus pendeat ab auctoritate majorum, vix alioquin habeat in quo possit fidem suam constanter fundare Tannerus sic differente To. 3. disp. 1. Qv. VII. Dub. 3. ass. 2. n. 57. adeò, qvæ imperiti laici cogantur credere, qvæ Doctores credant, etiamsi nesciant qvid credant. Qvin in Nōvo etiam Fœdere illam Carbonariam fidem fundatam & sufficiētem esse, dicunt, tantum abest ut æternæ damnationis periculum afferat, ut potius æternam salutem mereatur, An- gelo de Clavasio palam profitente (apud Dannhauerum nostrum Hodomor. Spiritus Papæ To. II. Phant. IX. p. 91.

contra manifestum Dei oraculūm Rom. III. 24. 28. ubi fides
instar manus apprehendentis meritum Christi & vitam
æternam introducitur, non verò ut opus promerens sa-
ludem. Sed ad carbones abeant isti Carbonarii cum in-
certis suis hypothesibus, qvorum inlatio & præbitio, ad
monetæ nempe & armorum fabricas l. 15. & 18. de extraor-
din. muner. in Cod. Theod. inter sordida munera olim
numerabatur. Confer. *Calvinus* in *Lexico Juridic.*
Nos melioribus instructi argumentis *scimus* cum Paulo
quid & in quem credimus, 2. Tim. I. 12. Nec aliunde pe-
tendam & emendicandam esse fidem, sed justum sua fide
non aliena, vivere, Propheta afferit Hab. II. 4. Extinxerunt
hos carbones carboniamq; fidem satis Doctores nostri
orthodoxi, inter qvos B. Hülsemannus in *Præf. Dial. Probl.*
Calixt. p. 86. in ipsa *Dialys.* p. 76. Gerhardus Loc. Theol.
Tom. 3. de *Justif.* §. 114. p. 869. Dannhauerus *Hodomor.*
Spirit. Pap. Tom. II. *Phant.* 9. p. 89. 214. Jo. Meisner in
Irenico Duraeano explicato Sect. 2. th. 25. seqq. & in dis-
sert. de fide *Salvifica contra Calvinian.* Vitemb. 1676. Bal-
thas. Meisnerus de attributis fidei communib; & propriis
1624. Vitemb. Zohelius pecul. dissert. de fide implicita Lips.
1673 edit. *Christmannus* in *Epicop.* nerv. proposit. de
fide adversus *Conr. Diel.* *Wetteranum.* *Summa sedis Mogun-
tine Vicarium.* 1603. script. Fridr. *Baldwin de natura fidei*
Salvifice Vitemb. 1622. & passim Scriptores Systematici;
Si modò desisterent ab instituto suo Adversarii & obedi-
rent tandem tam piis admonitionibus, more Neapo-
litanorum, qvi Carbonaria festa, ludos gladiatoriós sic
dictos, abrogarent, ad mandatum *Joannis XXII. A. C. 1327.*
sub pena excommunicationis promulgatum, qvod eā de
causā ad *Geroldum Capuae Archi-Episcopum* scripsit, si
Dominico Macro fides habenda in Hierolexico. Sed qvam-
vis

vis neqve D^o neqve hominibus fidem habere velint, nos
 tamen precamur seriis ad D^EUM missis precibus, ut tan-
 dem ipsorum corda illuminentur & labia instinctu Spir. S.
 uti Esaiæ labia tangebat Seraphim carbone ignito Es. VI. 6.
 qvem calculum candefactum fuisse apud Arabes usitatum
Bochartus existimat *Hierozoic. Part. Prior.* p. 327. Imò be-
 nefaciendo & orando pro ipsis carbones ignis s. ignitos in
 capita ipsorum congeramus, non vindictæ, *Luc. IX. 54.*
 sed misericordiæ, *Prov. XXV. 21.* *Rom. XII. 20.* extin-
 etamq; christiani amoris flamnam incendamus. Puriorem
 te nobiscum sententiam amplecti, *Juvenis ornatissime*, nec
 ad latebras carbonarias confugere, qvis cum ignarissimis
 nesciat, qvi te novit ab aliquot annis? Imbutus enim fuisti
 variis ad fidem salvificam ducentibus mediis, pietate & in-
 dustriâ parentum tuorū & præceptorum, qvos patria tibi
 subministravit, & Altenburgense Lycéum, ac illustre Ru-
 thenéum, alma demum politiorū studiorū mater, incluta
 Philuréa, & in vera Evangelica fide non tantum, sed etiam
 in aliis disciplinis philosophicis, Theologiæ ministranti-
 bus, magnam tibi conciliasti cognitionem & scientiam,
 nec inter illos numerandus es, qvi ex ignorantia omnia
 facile credunt, & facile etiam decipiuntur, sed ulteriori di-
 ligentia in ea inquisivisti Veritatis & Sapientiæ monu-
 menta, qvæ altioris aliis visa sunt indaginis. Qvapropter
 Amplissimus Ordo Philosophicus in celeberrima, qvam
 Christianus, qvin & literatus qvacunqve patet orbis vene-
 ratur, Academia Lipsiensi, post exantlata tot examina &
 exploratos tuos profectus, te dignum censuit, non in *Car-*
bonum familiari referre, qvæ celebris fuit apud Romanos
 teste *Livio* l. 86, Epit. *Floro* l. 3. c. 21. sed ē cœtu discen-
 tium ad culmen qvod majus est, nempe Magistrorum
 Philosophiæ & Bonarum Artium evehere. Hinc dies
 præfens

præsens neutiqvam carbone atro, sed albō signanda lapillō.
Aut impleantur tue fores e logiorum Carbonib⁹ secundum
Plantum Mercat. Act. II. Sc. 2. Sint hæc gaudia tibi per-
petua multisqve imposterum divinis accessionibus auge-
antur. Confervet DEUS in nobis fidem puram & inte-
meratam, eamqve in hac imperfectione in dies perfectio-
rem reddat, donēc à fide ad vitam æternam perveniamus,
& finem fidei h. e. æternam salutem impetremus. Fiat
ob vulnera JESU CHRISTI! Amen! Dresdæ in
Electoralib⁹ Urbe D. XXV. JAN. CONVERS. PAULI
SACR. A. O. R. cl⁹ cc XCVII.

S. D. G.



1011.12
Z

AG 855844

21-1101





